



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die tertia Meditatio prima. De morte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

ideo sit, si non proxima & immediata, saltem remota & mediata causa tanti infortunii, & æternæ perditionis. Et hoc eveniret, si Deus prout sæpius assolet, etiam post remissionem priorum peccatorum culpam, tibi poenam illam terribilem infligeret, ut te sineret gradatim ab uno peccato in aliud peccatum labi, & relabi, ac præcipitem ruere, donec ad supremum peccatorum coacervatorum apicem pertingeres. Ora Patrem misericordiarum, ut te per merita Jesu Christi redemptoris liberet à poena tam terribili, & pavenda.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à poenis, quas pro his meremur, eripias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Dies tertia**Meditatio quinta**De Morte.*

Remedium optimum longè à se arcent li peccatum, est memoria quatuor novissimorum: *Memorare novissimorum, & in æternum non peccabis. Eccl. c. 7. Hac de causa*

causa hodie consideranda proponitur mors.

Post peractam consuetam orationem præparatoriam præmittes meditationi duo consequentia præludia.

Primum erit, ut te tibimet ipsi repræsentes ad extrema deductum jacere in lectulo, à medicis desertum, omni ulterioris vitæ spe destitutum, feralem candelam manu tremulâ ægrè sustinentem, lateri tuo ad lecti spondam hærente sacerdote, illudque luctuosum Epiphonema, quod olim Isaias Propheta c. 38. Regi Ezechix occinuerat, etiam tibi intonante: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.*

Secundum erit, ut petas à Deo lumen ad agnoscendas mortis proprietates, & adjuncta, specialiter quàm multa, & magna mala mortem peccatorum, quàm multa & magna bona mortem justorum comitentur: pete gratiam effugiendi illam, & hanc consequendi, quem in finem utere verbis sequentibus ex Psalmo 12. desumptis: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: vel istis verbis Balaami Numer. c. 23. Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Et hæc ipsa servient tibi pro precibus jaculatoriis hoc matutino tempore sæpius iterandis.

Dividatur meditatio in hæc tria puncta.

1. Mors est certa, & incerta.
2. Mors decipit,

cipit, & tollit deceptiones. 3. Mors amœna, & amara, solatur & terret.

Punctum primum.

Considera mortem esse certam circa substantiam, & æquè incertam quoad circumstantias.

I. Certissimum est, tibi moriendum esse: quid juvat oblectari, & reniti? hoc est certissimum, & nullum admittit dubium, nullum *fortassis*. Res aliæ hujus mundi sunt incertæ; hinc meritò dicere potes, *fortassis* lucrabor hanc litem, *fortassis* convalescam ex hoc morbo, *fortassis* promovebor ad hanc paræciam, beneficium Canonicum &c. sed certitudo mortis omnem excludit incertitudinem, nec dicere fas est, *fortassis* & ego moriar, fortè non moriar; nam indubitatum est; qui nascitur, etiam denascitur, qui oritur, moritur.

Hanc indubitatum veritatem demonstrant ad oculum tam experientia quotidiana quàm ratio naturalis, & fides supernaturalis. Experientia tibi unum alterúmve funus, præsertim in populosis urbibus & oppidis ob oculos quotidie ponit. Ratio docet, te ex elementis inter se contrariis, & assiduè pugnantibus conflatum, tandem te domesticis istis bellis ac collisionibus conterendum, te mille vitam perdendi periculis obseptum,

omnia

omnia evadere non posse. Fides tibi aurem vellicat, ut præcepti & statuti illius irrevocabilis recorderis: *statutum est hominibus semel mori.* Hebr. c. 9. omnibus, omnibus moriendum est, tam parvis, quàm magnis, divitibus, & pauperibus, juvenibus, & senibus. Ne tibi aduleris.

Indubitatum, & certissimum est, oriturum semel diem, quo manè vivi, vespere erimus mortui; vel è contrario erimus vivi vespere, & sequenti manè diem vivi non amplius auspicabimur. An unquam vidisti aliquem mori, & domò in feretro efferri, à vespillonibus in escam vermium terræ mandandum? esto igitur certus, & habe tibi persuasissimum, quod eadem viâ hoc mundo exiturus sis; tu pariter, ut ipse, separaberis ab omnibus deliciis, & gaudiis hujus mundi: dicendum erit vale omnibus amicis & amicitis, conversationibus, divitiis, commoditatibus, voluptatibus, honoribus: dignitatibus, & quidquid sensus, vel appetitus tuos pascere, aut demulcere potest: etiam tuum corpus, postquam efflaveris animam, domo ejicietur; etiam tui domestici, & familiares, ut scœtorem declinent, properabunt cadaver tuum tumulo inferre, à vermibus devorandum. Si veritatem hanc infallibilem capis, & firmiter credis, cur tamen vitam tuam ita instituis, quasi nunquam esses moriturus?

Quare

Quare tam tenaciter cor tuum affigis rebus, à quibus paulò post divellêris? cur tam delicatè nutris, tam tenerè amplecteris saccum stercoris & putredinis, corpus tuum? cur tanto ardore insequeris bona transitoria? cur tam avidè congregas & accumulâs substantias sine omni substantia, nil profuturas, sed potiùs obfuturas per totam æternitatem? nondum agnoscis tuam stultitiam? an non advertis, te similem esse inepto illi mercatori, qui maxima sollicitudine, & indefesso labore navem onerat variis mercibus, quam certò scit cum omnibus mercibus mergendam, & interituram? vel certè improvido illi viatori, qui in itinere & reditu in patriam constitutus, corradit varias, & splendidas monetarum species, quamvis probè sciat, eas in patria sua nullum habere valorem, non acceptari, nec ului esse posse? *ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Psalm. 4.

Itaque si hæcenus totus fuisti in corradendis bonis terrenis, & tanta sollicitudine colligendis illis rebus, quibus omnibus à mortè certissimè non minùs, quàm ipsâ vitâ exuêris, muta, dum potes, animum ac studium, & majore diligentia impostertum coacerva illos thesauros, qui nec corrumpi, nec tibi ab ullo fure, nec ab ipsa morte eripi possunt. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropriat, neq; rinea corrumpit.* Luc. C. 12.

Morere, antequam moriaris; desere nunc spontè, quæ paulò post deserenda erunt coactè; abstrahe omnem affectum erga transitoria, & eris ex numero illorum felicitium mortuorum de quibus c. 14. in Apocalypsi dicitur: *beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

2. Quàm certum & indubitatum est, semel moriendum esse, tam incertum ac dubium est, quo loco, quo tempore, quo modo, aut genere mortis tibi moriendum sit. Nescis locum; nam quamvis tibi persuadeas, te in lectulo tuo per præviam ægritudinem de adventante morte monitum, sacris morientium Sacramentis munitum, negotiis omnibus tam corporis, quam animæ ritè compositis, assistente, & animante ad ultimum agonem sacerdote, placidè expiraturum; noli tamen nimium tibi blandiri; optanda hæc quidem forent, nescio verò, an tam certò etiam speranda; hoc certum est, quòd nescias, an domi in tuo cubiculo, vel extra domum; utrùm in urbe, an villa, utrùm in itinere, vel in itineris termino, an ad mensam, vel in templo sis expiraturus. Nullus est locus, in quo te mors non possit adoriri.

Hoc ipsum de tempore sentiendum, & dicendum est. Tu tibi blandiris, te non nisi post multos annos, in senili, & decrepita ætate longævam vitam finiturum, quando videlicet tibi ipsa vita gravior, & molestior

lestior quàm mors visa fuerit. Sed pura
puta veritas est, quòd ignores, an in juven-
tute, an in ætate virili, aut senili, an hoc
anno, hoc mense, hac hebdomade, hac
die, vel aliàs tibi hinc migrandum sit.

Æquè incertum est, quo mortis genere
sis extinguendus: an morte subitanèâ, &
improvisâ, an expectatâ, & provisâ? an
lentâ, an violentâ? & quod tibi meritò ve-
hementem metum incutere debet, an in
statu gratiæ, vel in statu peccati extra Dei
gratiam sis decessurus: Hinc CHRISTUS
in suo Evangelio nos toties admonet, ut
semper simus parati, & lumbos accincti
ad iter æternitatis ingrediendum; adjectis
tot parabolis ad hanc veritatem tanti mo-
menti altiùs menti & memoriæ nostræ in-
sculpendam; nunc vult nos semper vigilare
instar virginum illarum, quæ sponsum ex-
spectant, & nesciunt, quando venturus sit;
instar illius patrisfamilias, qui scit fures noc-
turno tempore in domum suam irrupturos,
sed nescit, quâ horâ; instar famulorum il-
lorum, qui dominum suum noctu reditu-
rum expectant, sed ignorant, an primâ, an
secundâ, vel tertiâ vigiliâ (quod elegans
symbolum est trium hominis ætatum, juve-
nilis, virilis, & senilis) sit appulsurus.

Quid de te foret, si præter dies tuo-
rum omnium foret ultimus? si hoc momen-
to moriendum esset? esse ne accinctus ad
grandem viam sine mora, & timore auspi-

candam? ad hunc periculi plenum, terribilemque saltum ex hac in alteram vitam, ex tempore in æternitatem in momento faciendum? Deploranda cœcitas foret, si supinâ torperes negligentiam in procuranda, & ab omni periculo præservanda salute æterna animæ tuæ, in negotio negotiorum omnium maximo, unice necessario, & summi momenti, cum interim negotia temporalia exigui, imò nullius momenti tam sollicitè, tam cautè, tam providè, nulli parcens labori disponas, omnia pericula etiam remota ac minima, unde aliquid damni timendum esset, diligentissimè arcere studeas? quid prodesset, si omnia, quæ non solum sufficerent, sed superabundarent ad ducendam commodam, lætam sine omni cura vitam, in viridem senectutem & senium producendam, accumulâsses, hodie autem deberes hunc mundum deserere, omnia relinquere, & transire in alium? dignissimus enim verò fores, qui illo excipereris amaro improperio, quo dives ille apud Lucam c. 12. exceptus est: *Stulte, hac nocte animam tuam reperunt à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?*

Fortassis tu non subjaces sinistris illis casibus, quibus tot alios succubuisse vidisti? vel audisti; hic flumine submersus, ille domûs caducæ ruinis oppressus, hic gladio transfossus! ille glande plumbeâ trajectus interiit: hic sanus, & incolumis, noctu lectum ingressus, nihil de morte somnians,
manè

manē mortuus in eodem repertus est. Sapi-
entis igitur est, primam & omnium maxi-
mam curam illi negotio impendere, illi po-
tissimū prospicere, quod summi, & mayo-
ris præ reliquis omnibus momenti est: oportet se sollicitè, & providè parare, imò jam paratum esse, ad momentum illud formidandum, ex quo pendet æternitas: *estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Lucæ c. 12. Quævis tua actio ita instituenda, & obeunda est, ac si esset ultima: omnis confessio ita deponenda est, ac si ad tribunal illud misericordiæ accessus non ampliùs esset concedendus; sic synaxis sumenda, quasi esset ultima, per modum viatici: ad hæc ipsa sacra exercitia, quæ præ manibus habes: ita industriam tuam adhibe, ac si ultimum spatium, & medium essent à Deo concessum ad seriam agendam poenitentiam, & salvandam animam.

Agitur de negotio nimis magni ponderis, ac verè summi momenti, & nulla sollicitudo, nulla cautela potest esse nimia: de negotio, in quo si erretur, toto cœlo aberratur, & error nunquam ampliùs emendari, aut compensari potest, morimur enim semel tantum, & non sæpius: si semel malè, & in statu peccati mortalis moreris, periisti æternū; si semel bene, & in statu gratiæ moreris salvus, & beatus es æternū. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. c. 11.

Statue igitur tecum firmiter, inclinare, & toto animi nisu ac pondere semper propendere ad dexteram, ad Austrum; nunquam verò ad sinistram, ad Aquilonem, ut cum succideris, bene ac feliciter cadas; nam quò cecideris moriens, ibi æternùm eris.

Punctum secundum.

Considera, quòd mors decipiat, & simul deceptiones tollat. Decipit, prout legitur Psalmo 54. *veniat mors super illos*; nimirum, quo minimè reris tempore; unde alia versio legit, *mors decipiat illos*. Tollit deceptiones & fraudes, prout Eccl. c. 41. dicitur: *ò mors, rectum est iudicium tuum*: decipit, dum fingit, se à nobis longè abesse, cùm nobis jam hæreat in cervice: tollit deceptionem & fictionem, quando jam incipit elidere cervices.

1. Decipit te mors, quando se fingit plurimùm adhuc à te remotam.

Est illa semper vicinior, quàm credas; quin tibi in certo sensu jam præsens dici potest, non solùm in causa, nempe in quatuor illis elementis, ex quibus homo componitur, se, & unà secum, humanam vitam elidentibus; sed in ipso effectu, nam homo non tunc primùm mori incipit, quando anima separatur à corpore, sed primo statim momento, quo vivere incipit. Ultima vi-

tæ nostræ hora non est illa, quam mors af-
 fert; sed illa, quæ præcedentem longam
 mortem tandem complet. Quo vis diei mo-
 mento particula aliqua ex vita nostra de-
 cerpitur, singulis horis jam unâ horâ bre-
 vior fit vita nostra: si præteritô annô tibi
 reliqui erant decem vitæ anni, hoc anno
 præsentē supererunt tibi solùm novem; nec
 tibi persuadeas, residuum vitæ tuæ esse lon-
 gum, & diuturnum: nimis labili, & infir-
 mo fundamento persuasio tua innititur, viden-
 cet floridæ ætatis, robustæ & vegetæ vale-
 tudinis, firmarum virium, nam mors falce
 suâ non solùm demetit spicas albas & matu-
 ras, sed non rarò refecat totam messem in
 herba, flores heri natos, & viride caput at-
 tollentes. Quot juvenes in hac urbe, in
 hac vicinia audivisti intra breve tempus ex-
 tinctos fuisse, & fortassis etiam in sandapila
 jacentes spectâsti!

Sed demus, multos adhuc restare tibi an-
 nos vitæ; perpende, quàm velociter tem-
 pus avolet: ad præterita reflecte animum,
 & perpende, quàm citò transierint triginta,
 quadraginta, quinquaginta, & plures adhuc
 vitæ anni, quos decurristi; & conclude,
 eâdem celeritate transituros annos illos,
 quos tibi fortè vana & falsa spe adhuc pro-
 mittis plurimos, elapsuros. Quàm bellè &
 bene nobis in Apocalypsi depicta, & de-
 scripta est mors, veloci insidens sonipedi, qui
 subditô calcari, laxatisque habenis nobis ap-

propinquat, & quantumcunque remotos tam celeri cursu nos intra breve temporis spatium occupat. Hinc deduces sequelam, quàm pridem D. Paulus deduxit; ergo dum tempus habemus, operemur bonum: ut vitam emendes, & mutes in melius, noli expectare mortem vicinam; nam tempus volat, & avolat irrevocabile; si pergas necere moras, oblivisceris tui etiam in ipsa morte, eò quòd oblitus fueris Dei in vita: *equissimè percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivus oblitus est Dei.* Aug. Serm. 10. de Sanctis.

2. Mors præsens tollit deceptiones, & fraudes. Ad lucem illius candelæ feralis, quæ ad cervical moribundi ardet, qua veritates æternæ, hætenus nigris obvoluptæ tenebris, & falsitatibus annumeratæ, clarè detegentur! In hac vita densæ te circumdant nebulæ, quæ tibi mentis oculos obvelant, ne præsentia ritè distinguas, & distinguas multò magis absentia, & remota. Sed candela illa mortualis, instar solis, lumine suo dissipabit crassas illas nebulas, & absterfa fuligine, genuinam rebus omnibus speciem restituet, & agnoscendam proponet. Nunc tibi bonum videtur malum, & è diverso malum tibi videtur bonum: *dicitis bonum malum, & malum bonum.* Isa. c. 5.

Sensuum refrænatio, vitæ modestia, libertatis restrictio, pœnitentiæ amarities palato tuo non sapiunt, timorem incutiunt; mundi

mundi deliciae, & gaudia lubrica, voluptates, symposia, lusus, joci fescennini, peccatum ipsam, tibi videntur meræ illecebræ, & fomenta veræ lætitiæ. Austeritates & mortificationes, si quas suscipis, quamvis levissimæ, tibi videntur gravissimæ, peccata, quæ committis, quamvis gravissima, tibi videntur levissima. Verbò; quidquid boni vel mali sensilis in mundo reperire est, magnum quid esse videtur; quod boni vel mali in altera vita reperire est, non videtur tibi esse tanti pretii, ut non quandoque postponi debeat bono vel malo hujus vitæ præsentis. Tam perniciosam illusionem te dedocebit tunc mors, tunc oculos tibi aperiet, quos nunc claudis evidentibus fidei veritatibus: *Dives cum dormierit, aperiet oculos, & nihil inveniet. Jobi. c. 27.*

Ecclesiasticus ille dives, qui tantâ aviditate, tot machinis, & mediis, fortè etiam illicitis, & simoniacis ad Beneficium pinguius tandem eluctatus est, tunc clarè cognoscet, omnia quæ finem habent, si cum æternis conferantur, esse nihilum, & purum nihilum? quale tunc feret judicium de pinguibus redditibus Ecclesiasticis, qui ipsum inescârunt, & in præceptis dederunt? Quid sentiet de peccato, ut ejusmodi redditibus potiretur, commisso, tam parvi habito, quando commitebatur? seipsum stultitiæ maximæ condemnabit, & proclamabit, quòd deriserit Clericos probæ & exemplaris vitæ, quos imit-

tari oportebat; illos autem Clericos, qui laxæ, dissolutæ, & scandalosæ erant vitæ, mirè dilaudaverit, & secutus sit, quos cane pejus & angue fugere debuerat: tunc præsumptuosa illa de infinita misericordia Dei præfidentia concidet; tunc justus de divina justitia timor crescet in immensum: tunc omnia ponderabuntur justis sanctuarii ponderibus, & ad exactam trutinam vocabuntur, & non ad mendaces, ac fallaces mundi stateras: nunc peccatores *nesciunt, quid faciunt*, Luc. c. 23. nunc verum est: *omnis peccans, ignorans.*

Tu noli expectare, ut tunc deceptionibus ejusmodi libereris, quando hæc liberatio tibi ad nihil aliud proderit, quam ut tuos augeat terrores: nunc disce, & serio perpende veritates illas solidissimas, quæ nimis tardè tibi tunc aperirentur; & meritò suffundere pudore, quòd necdum didiceris summè necessariam scientiam bene moriendi, ad quam ritè capiendam tibi Deus totum vitæ tuæ concedit tempus.

Punctum tertium.

Confidera, duo tantum esse genera mortis, mors bona, mors mala; prima est mors justorum; secunda est mors peccatorum; prima allicit; secunda terret; unam ex his eligere necessarium est; tuo in arbitrio est,
bene,

bene, vel male mori: itaque perpende attentè mortis utriusque proprietates, ne in faciendâ electione erres.

1. Mors justorum est mors dulcis, amabilis, delectabilis, sive placuerit oculos conijcere ad præterita, sive ad præsentia, sive ad futura. Si justus morti proximus considerat præterita, occurrit ipsi sufficiens materia solatii, & lætitiæ. Cernit, tandem finiendâ acerrima & perpetua illa certamina, quæ cum tanto labore, & sudore decertanda erant contra mundum, carnem, & dæmonem; cor proprium animos addit, eumque reddit certum, tempus adesse requiescendi à tot laboribus exantlatis: *amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Apoc. c. 14.* Respectu ipsius finitum est tempus patiendo, tempus laborandi, tempus flendi: ipse Deus siccabit, & *absterget omnem lachrymam ab oculis eorum; quia prima abierunt.*

Imaginare tibi liquidissimum solatium, quo perfundentur, illi non absimile futurum, quo Dux aliquis afficitur, post obtentam omni ex parte perfectam victoriam, debellatosque hostes cruentò periculi, timoris, & laboris pleno, decretoriò, præliò. Si præsentia considerat, quàm facilè, & libenter cor suum abstrahet, & separabit à mundo, cui illud nunquam affixit, quem pro ærumnoso exilio semper habebat; deseret sine difficultate corpus, quod non alio, quàm irreconciliabilis inimici locò habebat; absque

absque dolore & tristitia dimittet omnia bona, dona, & gaudia terrena, quæ velut umbras vanas, fugaces, ac fallaces sinistro semper oculo respiciebat, & contemptim deridebat; è tempore, quod semper ut proximum amittendæ salutis periculum considerabat, lætus in securum æternitatis litus transiliet: ut exultet & jubilet necesse est, quando illa sacerdotis vox ejus auribus insonuerit: *proficiscere anima Christiana de hoc mundo: non aliter quàm jubilet & exultaret Rex ille, qui à rebellibus subditis throno dejectus, scepro & regno exutus, & in dirum pulsus est exilium, ad certum nuntium, adesse tempus, quo is tristi exilio liber prodire, ad thronum ac sceprum redire, & pacificam, perennemque regni sui possessionem postliminiò adire possit.*

Si ad ea, quæ futura sunt, prospiciat, & animum advertat, judex divinus, licet severus, eum non terret, sed potius solatur, non secus, ac duci obtentis victoriis è bello reduci solatio est, si ad regem suum evocetur, ad cujus pedes ac thronum deponere possit expugnataram urbium claves, & ex debellatis hostibus reportata trophæa. S. Aloysius Gonzaga è Societate Jesu, admonitus de propinqua morte, illud Psalmi 121. intonuit: *letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Non solus S. Stephanus est, qui moriens videat cælos sibi desuper apertos, sed cuivis justo morienti hoc lætum spectat,

spectaculum exhiberi & hunc securum æternæ felicitatis portum aperiri crediderim, ut in hunc non minore lætitia plenius velis invehatur, quàm mercator portum propinquis oculis jam delibatum, tot defunctus decumanis periculis, terrâ jactatus & altô ingreditur, & aurum copiosum, merces pretiosissimas, thesauros ingentes in Indiis collectos, infido mari, & ulterioribus periculis subducatur. Ita nimirum sanctè & piè moritur, qui piè & sanctè vivit.

2. Mors peccatoris pessima, amara, plena timoris & terroris, quocumque vertat oculos, & animum, sive ad præsentia, sive ad futura, sive ad præterita: si consideret præterita, affligit illum memoria, & viva imago vitæ suæ actæ in peccatis, in vanitatibus, in profunda oblivione Dei, ac rerum Divinarum, propriæque salutis: exanimat ipsum memoria tot occasionum sibi à Deo oblatarum facilè consequendi salutem, à se tamen tam turpiter neglectarum; tot inspirationum surdis auribus repudiatarum; tam longi temporis, tam malè & in propriam perniciem impensi; videt voluptatibus, quibus se totum mancipaverat, finem impostum, reditus exhaustos, horum fontem obturatum, laudes & applausus, quibus ipsum soli mali socii, adultores pestiferi excipiebant, evanuisse.

Ex omnibus præteritis deliciis tam olim suavibus, nil ipsi remanet, quàm amara memoria,

moria, & mordax dolor, quòd iis adhæserit, jamque sit nunc è mundo migrandum, in quo tamen omnes suas spes, res, & solatia habebat reposita: videt, sibi vasa colligenda, relinquenda temporalia, & terrena omnia, in quibus suam beatitatem collocaverat; videt jam proximam diram illam à corpore tam delicatè enutrito, tam tenerè, tam cœcè, & contra omne lumen sanæ rationis, ac fidei adamato, arctissimis vinculis conjuncto separationem: videt, & manibus palpat, tempus non esse amplius, quod tamen summè necessarium esset ad agendam de peccatis tot ac tantis pœnitentiam. Quidam Francisco primo Gallorum regi olim à secretis epistolis morti proximus, amaris deflebat lachrymis miseram sortem suam, quòd cùm tot centurias quaternionum papyri, ac tot chartarum scapos in scribendis tot epistolis toto vitæ tempore absumpsisset, nunc ne quidem tantillum temporis residui habeat, quo in frustillo chartæ peccata transactæ vitæ conscribat, in sacra confessione exponenda.

Si oculos & mentem ad futura extendat, supra se videbit Divinum judicem, ut ipsum justè condemnet; infra se terram dehiscere, infernum aperiri, ut ipsum absorbeat. In longè majores angustias se conjectum sentiet, quàm reus ille, qui carcerem à licitoribus aperiri audiens artibus omnibus contremiscit, pallefcit, & expavescit, probè gnarus,

gnarus, se ad supremum supplicium, ad patibulum, ad rotam educi.

Elige itaque ex his binis mortis generibus illud, quod magis placet, vel primum, nempe mortem iustorum; vel secundum, nempe mortem peccatorum. Sed scito, si desideras & eligis illam, vivendum erit tibi sanctè, piè, justè, prout exigit status Ecclesiasticus; nam sanctè & piè non moritur, qui sanctè & piè non vixit. Itaque propone & seriò promitte Deo tuo impostertum te sanctam & piam vitam, ut sanctos, id est, Ecclesiasticos decet, ducturum; simul ora & roga, ut tibi concedat gratiam sanctè moriendi, & vitam felici morte claudendi.

Omnipotens sempiternus Deus, qui humano generi, & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti, respice propitius me famulum tuum, & animam refove, quam creasti, ut in hora exitûs illius, absque peccati macula tibi creatori suo per manus sanctorum Angelorum representari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dies tertia

Meditatio sexta.

De iudicio particulari.

Peractâ solitâ oratione præparatoriâ meditationi præmittes duo sequentia præludia.

IA